Caput XVII
differentias complectitur.

Differentiæ, quæ *τὰ εἴδη ſpecies* adpellari queunt, hujus morbi deſumuntur à cauſâ formali, materiali & efficiente.

I. GENERIS ratione, quod ipſam cauſi eſſentiam & formam ſpectat, aſſignantur ſpecies à *Coo 4. περὶ διαίτης τῶν ὀξέων*. Primum genus recenſet *textu 1*. alterum *textu 13*. *Unum* appellat exquiſitum, *alterum* ſpurium.

Galenus in comm. hæc duo cauſi genera repetit, unum *ἁπλῶς ἀκριβῆ καὶ γνήσιον, exquiſitum ſimpliciter & legitimum*; alterum *ἐξ ἡμίσεος δ' ὄντα τοιοῦτον, οὐ χεῖρον ὀνομάσαι συντόμου διδασκαλίας ἕνεκα, νόθον καῦσον, cùm pro dimidiâ parte ſolùm ſit talis, brevioris doctrinæ gratiâ cauſum nothum adpellat.*

Verba ipſa *Galeni*, quibus *δύο γένη τῶν καύσων εἶναι* egregiè docet, ſunt ſequentia: *τὸν καῦσον πυρετὸν εὑρίσκω τοὺς ἰατροὺς λέγοντας, ὅταν ἡ θερμασία διακαίῃ τὸν ἄνθρωπον, ἄπαυστόν τε τὸ δίψος ἔχει. Καὶ εἴπερ οὕτως ἔχει τοῦτο, τὸ μὲν ἄνευ διακαίειν τὸ σῶμα, δίψαν παρηγορουμένην ἔχοντα, καῦσον μὲν ἁπλῶς, ἀκριβῆ δέ καὶ γνήσιον οὐκ ἐροῦμεν. Febrim ardentem medicos reperio adpellantes, cùm urens caliditas ſitisque incompeſcibilis hominem torquet. Quod ſi ita habet, cauſum illum, in quò ſitis non uritur, ſitisque levis eſt, cauſum quidem ſimpliciter, exquiſitum autem & legitimum non dicemus.*

Alexander Trallianus libro 12. ardentis febris duplex quoque genus adnotavit. Sciendum, *inquit*, duo cauſi eſſe genera. *ὁ μὲν γάρ ἐστι γνήσιος καὶ ἀκριβὴς, ἔχων δίψαν σφοδρὰν, διαχωρήματα χολώδη, καὶ γλῶσσαν τραχεῖαν καὶ μέλαιναν. Hæc exquiſita eſt & vera, ſitim habens vehementem, dejectiones bilioſas & linguam aſperam nigramque.* Οἱ δὲ νόθοι φέρουσι καὶ αὐτοὶ δίψαν, ἀλλ' οὐ πάνυ σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην, οὐ δὲ τὸ μέλαν τῆς γλώττης, οὐδὲ διὰ τῆς γαστρὸς ἐκκρίνειν χολώδη, ἀλλὰ μᾶλλον διεφθαρμένα. *Illæ verò ſpuriæ etiam ſitim adferunt, ſed non adeò vehementem & intenſam, neque linguæ nigrorem, neque excrementum per alvum excernitur bilioſum, ſed magis corrupta.*